



1567

1893

o. XVII, 291.

16

von Melancthon? f.
Crist 3. 12 Mart.

CAPITA
PROPOSITA AD DISP
TANDVM DE XI CAP. EPISTO
le ad Roma. ab ALEXANDRO
ALESIO, Theologiae Docto
re ad VI diem Martij.
Anno XLV.

[Faint handwritten notes in blue ink]

CAPITULUM
PROFESSORUM
THEOLOGICORUM
UNIVERSITATIS
HALLENSIS
ANNO 1527

t
o
o
e
E
S
n
f
a
h
f
s
t
I
e
a
o
I
t
p



I



VNDECIMO capite rēdit ad quæstionē de electione tractandam, & docet electionem esse certam propterea quòd pendeat ex gratia, & præscientia & non ex meritis, et refutat ea quæ à Iudæis obijci poterant ac mitigat priorem querelam de reiectione Iudæorum, ostendens eos non esse reiectos, quos Deus præsciuerat credituros esse Euangelio, sed tantum impiam multitudinem, quia contenderet se eligi & seruari propter merita, ad tempus excæcatam esse: Donec ex sua infelicitate, & uocatione gentium edocti deponat hanc impiam opinionē de fiducia propriæ iustitiæ, & credat Euangelio. Quare etiā hortatur gentes ut Iudæos complectantur & suo exemplo inuitent ad fidē, comminatur etiā gentibus eas reijciendas fore propter ingratitudinem & fidutiam suæ iustitiæ, & prædicat Iudæos credituros esse ad fidē, nec ideo reiectos esse, ut omnes in æternum pereant, sed reos agi omnes gentes & Iudæos inobedientiæ & incredulitatis per prædicationem Euangelij ut Deus omnium misereatur, & de hoc imperscrutabili consilio dei exclamans absoluit primam partem Epistolæ.

II

Incipit autē à mitigatione seu correcti-

A 2 one

one eorum quæ circa finem prioris capituli dixit
de ruina Iudæorum, & præuenit obiectionem
Dico igitur num repulit Deus po-
pulum suum. nuncquid hoc affirmo, & id
ex mea disputatione sequitur, quod Iudæi col-
ligunt quod Deus reiecit populum suum quem
elegit? & propositum Dei non consistit per
electionem sed pœnitet eum electionis & irritæ
sunt ipsius promissiones? Ac respondet ipse sibi
per inficiationem nequaquam efficitur aut con-
sequitur, & addit rationem per instantiam.
Ego sum Israëlita ex semine Abrahamæ cui facta
est promissio de Christo, & adeptus sum pro-
missionem quia credidi Euangelio. Ergo Deus
non reiecit populum suum quem elegit.

III

Est enim hæc propositio huius capituli.
Non repulit Deus suum populum.
Ambros. sic exponit. Nō repulit Deus heredita-
tē suā quā præscijt id est, filios Abrahamæ quos fi-
deles sibi futuros scit. Nec enim promitteret eis
regnū, si sciret nullū ex his crediturum. Et hanc
suam expositionē confirmat per dictū Christi.
Pater quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex
his perijt nisi filius perditionis. Ita nemo ex his
quos præscijt Deus credituros repulsus est à
promissione, quia sic factum est, sicut præscijt
Deus futurum. Hæc Ambrosius.

IIII

Et quia

Et quia hæc instantia de persona sua non videtur soluere obiectionem de reiectione populi, Vnus enim aut alter non est populus, & ridiculum uidebatur uocare illos miseros piscatores, & paucos aliquot qui his crediderant populum quem deus in promissione multitudini stellarum cœli, & arenæ maris comparauit: Addit aliud exemplū sumtum a forma, & facie Ecclesiæ tempore Helie. & argumentatur ab exemplo An nescitis de Elia quid dicat scriptura etc. quasi dicat non est hoc nouum quod affirmo paucos ex multitudine esse electum populum dei, habetis hoc depictum in historia Helie. Deus non reiecit populum suum tempore Helie quando tam pauci erant credentes, ut Helias quereretur se solum relictū esse. Igitur nec hoc tempore Deus reiecit populum. Etiam si ego solus inter insignes phariseos, & aliquot obscuro ex populo credant Euangelio.

V

Hoc exemplo monstrare uoluit ueram Ecclesiam esse occultā nec semper conspici etiam à sanctis prophetis, & reliquias tantum populi qui credunt promissioni gratiæ id est misericordiæ esse electum populum dei, idq; probat agitans uerbū, reliqui, in responso dei ad Heliam Reliqui mihi septem millia uirorum. Reliqui mihi septem milia uirorū, quæ nō flexerunt genu

runt genu ipsi Baal. Ex hoc enim dicto in accommodatione, Sic igitur & in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae, fuerunt, insert tantum reliquias multitudinis, quae electae sunt per gratiam esse uerum populum Dei ad quae pertinent promissiones.

V I

Refutat etiam Iudaicum errorem de causa electionis, & docet eos tantum esse electos qui fide apprehendunt promissionem gratuita misericordiae Idq; probat enthymemate plane Rhetorico composito ex pugnantibus Quod si per gratia non iam ex operibus. in qua collectione hoc diligenter considerandum est quod Paulus ex uocabulo gratiae colligit exclusiuam. Electio est per gratiam, igitur per solam gratiam, & non partim propter opera. Consequentiam probat agitando uocabulum gratiae & operis. Quoniam gratia non iam fieret gratia. Si enim ex operibus (subaudi est electio) non est ex gratia quoniam opus non iam esset opus, sed gratia. Et gratia non esset gratia, sed opus.

V II

Hæc Antithesis clare intelligitur ex 4 Cap. ubi ait, Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum, ei uero qui non operatur, credenti autem
in eum

in eum qui iustificat impium reputatur fides sua ad iusticiam, Vtroq; enim loco ex uocabulo gratiæ colligit exclusiuam, Electio est ex gratia, Igitur non ex operibus sed ex mera misericordia. Homines iustificantur gratis per gratiam, igitur non propter opera, sed per solam misericordiam, uel solius misericordiæ fidutia. His si addas gradationē supra cap. VIII quos prædestinauit, eosdem & uocauit, & quos uocauit hos & iustificauit, & quos iustificauit eosdem & glorificauit. Vides electionem, Vocationem, Iustificationem, & glorificationem ex sola gratia & mera misericordia contingere.

VIII

Ex hac doctrina de electione per gratiam infert id consequi quòd promissio Euangelij tantum pertineat ad electos. Et quòd hi soli ex Iudæis sint electi qui amplectuntur promissam misericordiam, & reliqui omnes, qui conantur assequi promissionem per opera sint excecati hac ipsa fidutia propriæ iustitiæ & dignitatis.

IX

Sic enim hæc intelligo & interpretor
Quid igitur, quòd quærit Israel.
quid igitur subaudi consequitur ex hac doctrina de electione per gratiam? hoc nimirū quòd Israël non est assequutus per opera, id quod quærit id est promissionem factam Abrahamo & semini eius. Electio uero id est electi per gra-

tiam consecuti sunt hanc promissionem. Reliqui uero sunt excæcati fiducia propria iustitiæ ne uideant uiam ueniendi ad promissionem Euangelij.

X

Id probat ex testimonijs Esaie et Davidis Quemadmodum, inquit, scriptum est, dedit eis Deus spiritum conpunctionis. id est, siuit atq; permisit ut haberent spiritum compunctionis, hoc est, animũ iratum atq; exacerbatum odio Euangelij, sic enim exponit Volgarius & ait, cõpunctionem uocat animi quendam habitum pertinacem ad malum, & immutabilem, horum itaq; insanaabilem mentem, & in malo constantẽ, compunctionem appellat, quandoquidem hi & oculos haberent quibus possent miracula intueri, & aures quibus domini doctrinam perciperent, his tamen non sunt oportune usi neq; hos modo sensus Christo domino, sed ne Apostolis quidem accommodarunt. Haftenus Volgarius.

XI

Hoc uaticinium uidemus & in Iudeis olim impletum esse, & hodie adimpleri in his qui sequuntur eõũ superbiam, & damnant doctrinam de iustitia per fidutiã solius misericordiæ in Christo propositæ, ac contendunt se iustificari per opera, hi enim subinde excæantur magis ac

gis ac magis, & agitantur spiritu uertiginis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant illam quam ipsimet uicti testimonio propriae conscientiae agnoscunt esse ueram Christi prophetarum & apostolorum doctrinam.

XII

Causa huius excaecationis, & acerbissimi odij non est à Deo, sed partim à diabolo qui est spiritus uertiginis, & compunctionis, partim ab humana ratione quae offenditur uehementissime reprehensione suae sapientiae, & iusticiae, & indicat doctrinam Euangelij esse blasphemiam, & seditionem, quae tollat cultus institutos ab hominibus, & perturbet Ecclesiam ac rempublicam.

Quia non potest
gloria filij
et promissio
Luce 10

Quia non potest
sine ipso
habere et
filiatorem

XIII

Ita uidemus in omnibus qui contendunt se per opera bona sua coram Deo iustificari impletum etiam aliud prophetae uaticiniū. Vertatur mensa eorum in laqueum etc. Nam eorum mensa in qua acquiescunt & ex qua expectant recreationem, auxilium, & consolationem scilicet doctrina legis de iustitia operum, titulus Ecclesiae & populi Dei, promissiones factae patribus & Ecclesiae de perpetua presentia spiritus sancti, ordinaria successio, autoritas, exempla patrum, praescriptio temporis, approbatio multitudinis, & aliae prae-

A 5 gatiuae

gatiuæ sunt eis ceu laqueus quo capiuntur, & sibi placent, ac contendunt se non posse errare. Ex his enim perstringuntur eorum oculi et obscurantur ne uideant, & metuendum est ne eorū terga Deus incuruet perpetua seruitute, & tyrannide turcia, sicut Iudeos oppressit per Romanos propterea quòd doctrinā Euangelij de gratuita remissione peccatorum per fidem in filium Dei damnarunt, & persequuntur omni genere crudelitatis.

XIII

Sed quia ex his uaticinijs posteriore præsertim, semper inflecte dorsum eorum, consequi uidetur Iudeos sic esse excæcatos ut nunquam sint credituri Euangelio, obijcit ipse sibi Dico igitur num ideo impegerunt ut considerent. Id est, nunquam hoc dico & affirmo ex his uaticinijs, quòd Iudæi sic ceciderint sicut Diaboli qui nunquam poterunt resurgere. Sic enim exponunt hunc locum Volgarius & Ambrosius, ac respondet ipse sibi primo per inficiationem, nequaquã hoc consequitur: deinde per inuersionem Sed per lapsum illorum salus contigit gentibus Id est immo hoc dico quòd ex casu eorum salus gentibus scilicet contigit, ut Iudæi æmulentur, hoc est ut æmulatione ac zelo accensi conuertantur ad Christum, inuidentes gentibus promissiones

missiones præstitas quas sibi factas, & ad se solos pertinere gloriantur. Sic supra citauit testimonium ex Mose, & ego ad æmulationem uos adducam, in eo qui non est populus in gente stulta ad iracūdiam uos prouocabo.

XV

Sed quia uidet Paulus ex hac ratione gentes colligere posse: Ergo nos debemus inuidere Iudæis salutem presertim cum eorum excæcatio sit causa nostræ salutis: Respondet per inuersionem Quod si lapsus eorum diuitiæ sunt mundi etc. Id est. Immo si eorum casus fuit causa per accidens quare Euangeliū prædicatum sit gentibus, quanto magis eorum conuersio erit causa per se, & propriè dicta conuersionis omnium gentium.

XVI

Hanc esse Pauli sententiam monstrat sequens apostrophe ad gentes, in quo suo exemplo inuitat gentes ut Iudæos prouocent ad credendum, cum addit Vobis enim dico gentibus &c. q. d. si ego qui sum doctor gentium & apostolus duco pro summa gloria officij mei si mea prædicatione possim aliquos ex Iudæis conuertere: Igitur uos qui estis mei discipuli hoc meum exemplum uobis ad imitandum debetis proponere.

XVII

Addit

Addit etiam rationem exhortationis sumtam ab utilitate, uel comparatione utilitatis quæ sequuta est reiectionem Iudæorum, & quæ sequutura est eorum conuersionem. Nam si reiectio illorum est reconciliatio mundi &c. Id est si eorum reiectio fuit, quasi reconciliatio quædam mundi, qua gentes per totum orbem terrarum ad Christum sunt conuersæ, quæ erit assumptio eorum nisi uita quædam mundi totius ex mortuis Iudæis iam ad fidem resuscitatis, sic enim Ambrosius exponit.

XVIII

Et Iudæos non esse simpliciter reiectos probat etiam proprijs similitudinibus Quod si primitiæ sanctæ &c. q. d. si promissio patribus facta est, Igitur pertinet ad eorum posteritatem, & Iudæi credituri sunt promissioni Euangelij. Et ex ultima metaphora radicis & ramorum probat gentes debere complecti Iudæos propter gratitudinem, quando quidem id deberent Iudæis, quod oleaster insertus oleæ ex qua succum & uitam trahit, & tantam esse ingratitude si gentes contemnāt Iudæos, & eis inuideant salutem, ac si rami despicerent radicem Quod si nōnunli rami defracti sunt: Tu uero cum esses oleaster &c. in qua sententia & Iudæorū casum extenuat, & affirmat tantum aliquos ex ramis defractos esse agita-

esse agitados uento superbiae & fiduciae propriae iustitiae. Et gentes suae indignitatis commonefacit assimilans oleastris quas homines iudicant indignas quae inserantur oleis.

XIX

Præuenit etiam gentium obiectionem. Dices, igitur defracti sunt ut ego insererer. Igitur iuste gloriari possum. Respondet primo ad antecedens per concessionem recte dicis illi defracti sunt, ut tu inseraris quia eorum casus est causa per accidens, quare Euangelium est prædicatum gentibus, sed addit correctionem. Propter incredulitatem defracti sunt q.d. illæ non sunt propriae causæ, quare illi defracti sunt, & tu insertus es, & argumentaris à non causa ad causam, sed propriae causæ sunt eorum incredulitas & tua fides. Deinde respondet ad consequentiam per inuersionem Ne efferaris animo sed timeas noli superbire scilicet de tua dignitate aut iustitia, sed time, contineas te in timore dei & agnoscas tuam indignitatem.

XX

Rationem præcepti addit à maiore Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit Id est Iudæis quorum sunt promissiones, & ex quibus est Christus secundum carnem non pepercit propter incredulitatem, metuendum est ne tibi non parat, si excidas fide, & superbias de
tua

tua iustitia, & inanibus titulis sicut ipsi faciunt.

XXI

Hanc rationem amplificat & reuocat gentes a falsa persuasione, quæ facit eos superbire, uide licet, quòd deus eligat & iustificet homines propter suam dignitatem, & iubet eos in electione intueri gratuitam Dei bonitatem, & rursus in reiectione considerare dei seueritatem erga incredulos. Vide igitur bonitatem & seueritatem Dei & c. q. d. si non permanse-
ris in hac doctrina quòd Deus eligat, uocet, iustificet, & glorificet, propter suam bonitatem id est misericordiam in Christo promissam, sed docueris homines iustificari propter propria bonitatē, tu senties etiam Dei seueritatem.

XXII

Estq; horribilis comminatio de ruina Ecclesiæ gentium, uaticinium de receptione Iudeorum, in sententia Quoniam & tu excideris & illi rursus si non permanferint in incredulitate inferentur. Et uide-
demus hanc comminationem iam completam,
& Ecclesiam in Asia, Aphrica, Græcia, ac magna parte Vngariæ penitus deletam Machometi furore, & in reliqua parte Europæ quæ est sub Episcopis oppressam esse horribili impietate in prophanatione missarum, Inuocatione sanctorum, supersticiosi cultibus humanarum traditionum

tionum, et inscitia doctrinae de iustificatione per fidem & fiduciam solius misericordiae & bonitatis Dei. Sed nos gratis animis debemus agnoscere ex inmemsa Dei bonitate restitutam esse hoc nostro tempore doctrinam de gratuita remissione peccatorum & nos consolari ex hac Pauli promissione si permanseris in bonitate, ac statuere eos uere esse populum Dei qui conseruant hanc doctrinam.

XXIII

Vaticinium autem de receptione Iudeorum confirmat primum argumento à possibili Potest. n. Deus denuo inferere illos deinde argumento à facili Si enim tu ex naturali exectus es oleastro &c. q. d. ea quae sunt naturalia sunt ijs quae sunt contra naturam faciliora. naturale est ut surculus oleae inseratur radici, contra naturam ut oleaster. Deus inseruit gentes in Ecclesiam Iudeorum. Igitur Iudeos olim recipiet si fuerint conuersi.

XXIII

Et clarè praedicit Paulus id futurum esse. uerum de modo & tempore non satis conuenit inter interpretes. Volgarius hunc locum Non enim uolo uos ignorare fratres mysterium &c. sic interpretatur mysterium hoc loco. illud, inquit, quod nondum uel sciri queat, uel explicari, quod illud erit? id scilicet quòd
non

non penitus infideles Iudæi futuri sint, sed ex parte illorum sit cæcitas. Nam, ut superius diximus, ex eis pleriq; quos Deus præscisset fidem sunt assecuti, & sunt alij rursus credituri, sunt tamen interea cæcitate hi capti donec ex gentibus prædestinati saluentur, & tunc demum quicumq; crediderit Israëlita saluus erit. Hanc iudico esse simplicissimam expositionem. quæ interpretatur uniuersalẽ, totus Israël saluabitur, distributiue, quilibet Israëlita qui crediderit saluus erit, & non collectiue, totus ille populus seruabitur.

XXV

Vaticinio de conuersione Iudæorum, addit de studio, & amore erga Iudæos suo, & tradit regulam quatenus odisse & amare debeamus cum ait Secundum Euangelium quidem inimici propter uos &c. Id est propter Euangelium, & uos quos Euangelij causa persequuntur hostes esse iudico, sed propter sanctos patres quibus et eorum semini facta est promissio habeo pro amicissimis, eos præsertim qui sunt credituri Euangelio. Probat etiam aliquos esse credituros ex hoc axioma Nam dona quidẽ & uocatio Dei &c. q. d. Deum non pœnitent suæ promissionis propter eorũ peccata sed seruabit eis promissionem, etiamsi ipsi sunt indigni. Sic enim exponunt
hanc

hanc sententiam Augustinus et Theophilactus.

XXVI

Confirmat id ex comparatione. Iudæi sunt uocati quia gentes fuerunt incredulæ, cum primum uocarentur in principio mundi, & rursus sunt uocatae cum Iudæi fierent increduli prædicante Christo & Apostolis. Igitur Iudæi etiam iterum sunt uocandi, cum gentes fient incredulæ, et doctrinam de electione, uocatione, iustificatione, ac glorificatione per solam gratiam & misericordiam damnauerint. Quia sine pœnitentia sunt dona & uocatio Dei, & ex æquo cumulat Iudæos, & gentes suis charismatibus, Et subinde offert eis sua dona, uocando ad Christum per prædicationem Euangelij.

XXVII

Ita enim intelligo hanc comparationem. Quemadmodum enim uos aliquandiu increduli fuistis &c. Hæc enim ratio sumpta est ex eo quòd oportet promissionem factam Ecclesiæ ueram esse. Promisit autē Deus quòd semper erit Ecclesia, in qua seruabitur doctrina de reconciliatione humani generis per filium dei, & misericordiam in eo promissam, & quoties gentes hanc doctrinam reiecerint, oportet Iudæos eam recipere idq; probat Paulus cum addit Conclufit enim Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium miser

um misereatur. Id est. Deus coarguit & conuincit omnes homines, Iudæos & gentes inobediencia erga legem, ut omnium misereatur, & ut omnes credant promissioni Euangelij de gratuita remissione peccatorum per fiduciam solius misericordiae, similes enim sunt sententiae supra Cap. 3. Reuelatur ira Dei aduersus impietatem & iniustitiã omnium hominum. Item Conclufimus omnes Iudæos & gentes sub peccato esse. Omnes peccauerunt & destituuntur gratia Dei iustificantur autem per gratiam & redemptionem quæ est in Christo Iesu.

XXVIII

De hoc admirabili & ineffabili consilio, quo deus gratis per misericordiam in Christo promissam homines eligere & seruare decreuit & non propter merita admirans sic exclamat. uocat autem diuitias misericordiam sicut priore apite. Nam idem dominus omnium diues in omnes qui inuocant eum, & sapientiam Dei uocat illam quam ad Corinthios dicit in mysterio absconditam, quam nemo principum huius mundi cognouit, hoc est doctrinam Euangelij, quæ pugnat cum ratione & lege & Iudæis est scandalo ac pro stultitia à gentibus deridetur. Ideo addit O profunditatem diuitiarũ scilicet per rationem & legem. Eodem pertinent hæ interrogaciones Quam inscrutabilia

bilia sunt iudicia eius &c. q. d. animalis
homo non intelligit ea quæ sunt spiritus Dei,
stulticia siquidem illi est quod spiritualiter iudi-
catur, Ac spiritualis quidē iudicat omnia, ipse ue-
ro à nemine iudicatur, quis enim cognouit mentē
domini? aut quis consiliū dedit illi 1 Corinth. 2.

XXIX

Quod autem addit Quis cogno-
uit mentem Domini. Ostendit Deum
nemini debitorem esse ut eum eligat aut iustifi-
cet propter merita idq; probat cum addit
Quoniam ex illo & per illum & in
illum omnia &c. Id est, Ei soli debetur glo-
ria ex quo sunt omnia tanquam à causa effici-
ente, & per quem sunt omnia sicut à conditore,
& in quo sunt omnia tanquam conseruatore,
sed ex Deo patre sunt omnia, & per filium eius
dominum nostrum Iesum Christum omnia sunt
condita, & in spiritu sancto omnia con-
sistunt & conseruantur. Igitur huic
uni & trino Deo debetur om-
nis honor & gloria
Amen.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



9
193469

ULB Halle 3
004 396 014




Sp.

MC







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

16

von Melanthon? f.
Crist 3. 12 Mart.

CAPITA
PROPOSITA AD DISP
TANDVM DE XI CAP. EPISTO
le ad Roma. ab ALEXANDRO
ALEXIO, Theologiae Docto
re ad VI diem Martij.
Anno XLV.

